

et singula exinde emersa damna complanare; et si se absque armorum strepitu subdiderint, Antesignanos nihilominus ipsorum, ad tollendas causas ulteriorum seditionum, capitaliter punire, omnesque in pristinum statum ac debitam suis Dominis Terrestribus obedientiam (non obstantibus quibusvis impedimentis, aut ulteriore, occasione forte cuiusvis in executione intervenientis impedimenti ordinatione) redigere; ac ipsimet, congruo pro ratione temporis et effectuationis praesentium adinvento medio, omnia et singula effectuare possint et teneantur.

§. 2. Et eum in finem Mandata quoque sufficientia per suam Majestatem, praesenti Articulo conformia, ad eosdem Dominos Comites Banum et Generales, jam statim benigne elargiantur.

§. 3. Et casu, quo imposterum quoque istam rebellionem durare, aut repullulare, vel similem ibidem, aut in Regno Ungariae exurgere contingeret; eandem virtute duntaxat praesentis Statuti, in Ungariae quidem Dominus Comes Palatinus, in Croatiae vero et Sclavoniae Regnis iudicem Domini Comites, Banus et Generales, sopire ac tollere possint et debeant. *)

De Colonorum in Civitatem Varasdiensem transfugientium repetitione.

A rt i c u l u s 77.

Status et Ordines Regnum Croatiae et Sclavoniae adversus Civitatem Varasdiensem queruntur, quod eadem Civitas, praetextu cuiusdam Articuli praetensi, Colonos et Subditos eorundem fugitivos, in medium sui ad Artes Mechanicas receptos, ibidem contra creberrimos superinde editos Articulos fovere; Et etiam legitime per Dominos Terrestres requisita detinere non veretur:

§. 1. Eapropter Articulos de repetitione et restitutione ejusmodi fugitivorum colonorum renovant et stricte observari volunt Status et Ordines Regni, Dictaeque Civitatis Articulum in Comitatu ejusdem nominis Varasdiensis, taliter qualiter in praejudicium publicarum Regni Constitutionum obtentum; in perpetuum cassant, viribusque caritatum pronunciant.

Commissarii pro rectificandis abusibus et reformando vectigali omnium Regni Tricesimarum ordinantur.

A rt i c u l u s 100.

§. 5. Similiter etiam in Regnis Croatiae et Sclavoniae denominantur, pro Praeside, Reverendissimus Dominus Petrus Petreticz, Episcopus Zagradiensis; et Magnificus Sigismundus Keglevith, Egregii item Georgius Malenich; Caspar Budor et Thomas Ivanovicz, Notarius Comitatuum Zagradiensis et Crisiensis.

*) Renovatur et declaratur; An. 1659. a. 107.